

Quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam laboris, neque tantum molestiae quantum gloriae, majoremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus quam ex laetitia inproborum dolorem. Sed si aliter ut dixi accidisset, qui possem  
5 queri, cum mihi nihil inproviso nec gravius quam expectavissem pro tantis meis factis evenisset. Is enim fueram, cui cum liceret aut majores ex otio fructus capere quam ceteris propter variam suavitatem studiorum in quibus a pueritia vixeram, aut si quid accideret acerbius universis, non praecipuam sed parem cum  
10 ceteris fortunae condicionem subire, non dubitaverim me gravissimis tempestatibus ac paene fulminibus ipsis obvium ferre conservandorum civium causa<sup>1</sup>, meisque propriis periculis parere commune reliquis otium. Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis, ac  
15 tantummodo nostris ipsa commodis serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret et tranquillum ad quietem locum, sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii partes ipsa sibi ad utilitatem suam pigneraretur, tantumque nobis in nostrum privatum usum quantum ipsi superesse posset remitteret.

---

<sup>1</sup> *conservandorum civium causa* : pour sauver mes concitoyens